Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8408
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

.LVI.

.LXXXviii.

ceteros non habebo cum quo possim bellare. Re-
ferunt enim de eo historie quod semper bella nova appe-
teret in quibus eius apparere probitas posset.

Que sunt illa que valent ad pacem.

Ad pacem habendam et nutriendam maxi-
me valent duo remedia. Primum est communitas
laborum pariter et honorum. Secundum vero
remedium est ut nulla sit inter homines acceptio
personarum. Nam de primo attende quod in hoc
omnes concordant quod fuit potissima causa quare
sic creverit urbs Romana quia communis fuit omnium
status et vita. Nam sicut communis omnibus erat honor
Nullus igitur apud eos erat locus invidie quia ille
qui uno anno laborabat in altero anno loco sub-
limiori honorabatur. Nec erat etiam locus arroga-
tie quia qui hoc anno poterat in sequenti in
in sequenti ei cui preferat ministrabat. Fiebat
ergo ut nemo suum contineret affectum quia unusquisque
sciebat quod quem habebat subditum haberet post-
modum in prelatum. Est igitur in omni statu ho-
minum communitas laborandi. Cito enim putrescit aqua
si non fuerit sepe mota. Ferrum rubigine cito in-
ficitur nisi cum eo homo aliquid operetur. Vestis
non portata sed in archa reposita cito devastatur
a tinea nisi fuerit foris exposita et excussa. Communitas
ergo laboris pariter et honoris miro modo resplen-
det in apiculis et formicis. Apes enim ordinant
suas excubias more castrorum. De nocte enim similiter
omnes usque mane quiescunt donec una ad hoc or-
dinata omnes excitat triplici bumbo sive quodam
buccina et tunc surgunt et provolant universe si
dies futurus sit mitis. Sed si futuri ymbres et
venti viderint se communiter continent infra tecta. Dum
autem exeunt iuniores maxime sunt qui vadunt et
mel de floribus legunt. Seniores vero interiora
opera faciunt. Que igitur onera portant prius pedes